



B. C. D.

19

Ex occasione locorum
TACITI & SUIDÆ,
PONTIUS
PILATUS, PRÆSES,
PRÆSIDE
GEORGIO CASPARE
KIRCHMAJERO, P.P.
Heavtontimorumenos

sistetur publico,
In Audit. Major. ad diem XVI. Aprilis,
hor. matutin. Annô 1679.

à
RESPONDENTE,
GEORGIO FRIDERICO SCHROMMIO,
Creilsheimensi Francô.

WITTENBERGÆ,
Typis JOHANNIS WILCKII.

3

B. C. D.
ELIACHUS
EX
TACITI
ROMANUS
PIATUS
P. R. A. I. D. E.
GEORGIO CASPARE
KIRCHMAYERO, P. P.
HERVORBRINGENDEN
IN AUDIT. MAJOR. AN. DICEM. XVII. APRILIS
HOR. MARTINI. ANNO 1679.
R. E. S. P. O. N. D. E. N. T. E.
GEORGIO FRIDERICO SCHROMMIO.
WITTEBERG.
TYPIS JOHANNIS WITCKH.



ad
ELENCHUS CONTENTORUM

ad CAP. I.

- §. I. Rejiciuntur, qui ex nomine *Pilati* arguunt Parentes ejus.
Notatur D. *Stellerus* ob susceptum patrocinium *Pilati*.
Cujas fuerit, removetur. Ineptè cum Præfecto quaesturæ
(einem *Ambtschöffer*) comparatur à *Stellero*.
- §. II. Multi ex Historicis Rom. referuntur *Pontii*, insignes
Viri. *Pontius Pilatus* natione *Italius*, Romanus Eques, me-
ritis illustris.
- §. III. Metaphrastæ *Æthiopico* ac *Arabi*, non *Pontius Pilatus*,
sed *Pilatus Pontius*, in verso vocum positu vocatur. An
à *pilo* nomine? an à *pilando*, aut *πιλόω* verbo? non scrupu-
losè quæritur. *Pileus pilaticius* quid?

Ad CAP. II.

- §. I. *Pilatus* Legatus, Præses, Procurator vocatur à diversis.
ἡγεμῶν quid? Generale nomen.
- §. II. Procuratores fisci Principalis, Cæsaris & Rationales;
qualibus *Pilatus* haud annumerandus. Notatur *Tacitus*
& c.
- §. III. Præsidis Provincialis, Procuratoris & Proconsulis par-
tes æstimantur ex civili jure.
- §. IV. Legatus *Pilatus* dici nequit; nec *ἡγεμῶν ὑπαίκοῦς*. Usus
& abusus vocis *ἡγεμῶν*.
- §. V. *ἡγεμῶν* idem etiam, ac nostris ein *Statthalter* und *Land-
Drost*; qualis extitit *Pilatus*; ut per rationes atq; testimo-
nia ostenditur. Legati partes diversissimæ.

CAPIT. III.

- §. I. Juridicialis Generis prolixitas contrahitur per summas
in *Pilati* innocentia examinanda. Vapulat temeritas
Stelleri.
- §. II. III. & seqq. usq; ad 12. Objectiones variæ & pretextus
spe-

Speciosi pro *Pilato* producuntur, excutiuntur, ac respon-
sionibus rejiciuntur.

- §. XII. Sanctum judicis officium opponitur *Pilato*. Casum
pro amico sc. *Herode* sibi concinnando *Pontius* formavit.
Syncretismus Politicus *Herodem* inter & *Pilatam* in con-
demnando *JESU*.
- §. XIII. Judex peregrinis & forensibus æqualiter jus dicat.
Romanum civem non sic excepisset *Præfes*.

CAPIT. IV. Contenta :

- §. I. Interitus *Herodis*. De interitu *Pilati*, ratione meriti & re-
atûs, tum ratione exitûs. *Pilatus* ἀυλόχευς ἀεὺ τοῦ τιμω-
ρῆσεν.
- §. II. Acta *Pilati* fabulosa. *Pilatus* nec vivus, nec mortuus in
Gallias aut *Helvetiam* delatus. Castigatur *Langius Lem-
berg*.
- §. III. Lacus *Pilati*. Mons fractus propè *Lucern*. in *Helvetia*.
Notantur pro sententia hâc autores plures. Excusatur
Vadianus contra *Mexiam Hispan*. Commendantur accu-
ratiore hâc in parte *Viri*.
- §. IV. *Pilatus* morte violentâ obiit. Citatus *Romam* ad reddend-
dam rationem. Factus est ἀυλόχευς.
- §. V. *Pilatus* sub *C. Caligula* ἐαυτοῦ τιμωρῆσεν. quo tempore
obierit? Adducuntur variî *Scriptores*.



CAPIT. III.

- §. I. Juridicalis *Genetis* prolixitas contrahitur per summam
in *Pilati* innocentia examinanda. *Vapulae* temeritas
- §. II. III. & sedd. usq; ad 12. *Objectiones* variæ & prætextus



I. N. J.
DE PONTIO PILATO,
injusto Christi Judice,
Ad C. C. TACITI Annal. l. XV. c. 44, 4.
Verba TACITI.



A Bolendo rumori (ne incendium Urbis à Nerone justum crederetur,) Nero subdidit reos, & quæsitissimis pœnis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.

Verba version. SUIDÆ in Excerpt. vit. Cæsarum de
NERONE.

*N*ero cum adhuc juvenis esset, Philosophis navabat operam, & de Christo quædam discebat; adhuc enim eum inter homines habitare putabat. Sed cum à Judæis crucifixum esse intellexisset, indignè tulit mandavitq; ut venirent Sacerdotes, Annas & Caiphas, & ipse Pilatus, qui tunc Præfectus erat, ferro vincti. Cumq; in Senatu consedisset, quæ de illò acta essent, audiebat; Annas igitur & Caiphas dicebant: se legibus obtemperandò illum tradidisse, nec læsæ Majestatis esse reos. Prætozem enim potestate præditum,
A egisse,

❁(2.)❁

egisse, quæ voluerat. Nero igitur indignatus, Pilatum in
carcerem conjecit, Annam verò & Caipham dimisit. Pila-
to caput amputavit; qui tantum hominem injussu Impera-
toris interficere non dubitasset. Hæc de Pilatò hæctenus
Suidas. Utrumq; locum si consideremus unà, quatuor
se nobis spontè offerunt distincta membra principalia,
totidem in Capita hîc separanda.

CAPUT I.

De

Nominibus PILATI.

§. I

Pontius Pilatus, judex iniquissimus in condemnato inno-
centi JESU declarandus, *quis, qualis, quantus* fuerit, ut in-
telligatur rectè, nec nomina ejus præteriri planè debent.
Miramur, ac tantùm non indignamur, eò ineptiarum aliquos
progressos esse, ut & patriam illius, & parentes quærent ex
impositione malè intellecti nominis. *Pilati* nuperus Patronus,
ex juridicina (ut *Tertulliani* voce utar) colores varios conqui-
rens & appingens, *D. Johannes Stellerus, Leisnicensis*, in defensi-
one ejus *Dresde* Anno. 1674. exscriptâ typis, protulit in medi-
um sequentia, ut claritatem nominis apologiæ pro *Pilato* me-
reretur. Prius, quàm ipsam defensionem, seu defensionis meritâ
aggredimur, non abs re fore, (scribit in præliminaribus) si, quod
ad personam ejus attinet, paucis dispiciamus. Autor aurea legen-
dæ, quem *Ludovicus Vives* hominem ferrei oris & aneæ frontis ju-
dicat, & ridiculè affirmat, *Pilati* nomen esse prænomen, quod ipsi à
parentibus, & quidem matre *Pila*, patre verò *Atus* impositum. Re-
ctius autem alii verum nomen inde arcessunt: Pontium fuisse sci-
licet vocatum, aut quòd in Provincia *Ponto* natus, aut ab insula
Pontiana, in qua jussu Romanorum Legati vices sustinuit; aut
quòd de genere Pontiorum Romanorum ortum duxerit. Alii, inter
quos

quos Chytraus, pro Germano & conterraneo nostro reputant. Unde etiam canit:

In Forcheim natus est de natione Pilatus,
Teutonice gentis, crucifixor Cunctipotentis.

Alii pro Silesio, in specie (ut idem pergit) pro Lugidunensi, von Glo- gau: alii pro Hollandico, Lugduni Batavorum nato habent. Hæc ille; qui suppresso nomine, κατὰ τὸ ἐπιθὲν exscripsit ista ex Spectaculo Pass. Christi à Martino Bohemo publicato, opere sat vasto, act. 25. Conc. 63. p. 220. & ex Pilato aliquem Præfectum saltem aut Quæstorem, einen Ambschöffer oder Ambrmann / allucinatione gravi fecit; ut patebit ex secundo Capite.

§. II. Ut rem omnem aliter se habere constet, obser- vandum primò nomen Pontii, quod à Ponto petunt magni eti- am Scriptores. Opinionem hanc secutus cordatus alioquin autor, Bulgaria Archiepiscopus Theophylactus, initio commen- tar. in cap. XXVII. Matthæi. Sed fuit Pontiorum celebre in Italia nomen, cum de Ponto nihil adhuc quicquã Romanis fortè constitisset. Quod ut manifestius appareat, fideiã unã duos dealbabimus parietes, haud operosè obtenturi, nec à Ponto di- ctos Pontios; [nisi & Pontifices ridiculè hinc derivare velis,) nec Germanum Pontium Pilatum esse potuisse. Clarissimi erant Pontii Samnites, pater Cajus, & dux filius, Herennius; seculo ter- tio ab Urbis conditu, dudum ante publicatam Dei hominumq; consanguinitatem. Vid. Dionys. Halicarn. Liv. 9. Hist. 1. conf. Flor. 1, 16. C. Cesari pernotus Pontius Aquila, Tribunus plebis olim, (alius ab illo, qui in Apostolorum gestis C. XVIII, 2. Ἀκύλας Ποντικός vocatur,) vid. in vit. Cesar. Sueton. c. 78. Memo- ratur quoq; Pontius pro Cesaris salute excubans, ap. Valer. Max. l. 3, c. 8. Pontius Aufidianus castitatis nomine laudatur ab eodem l. 6. c. 1. Pontiusq; Lupus Eqves Romanus, diligentia encomio nobilitatus ap. eund. 8. 7. Pontius Telesinus, Samnitum Impera- tor, vir domi belliq; fortissimus deprædicatur à Vellejo l. 2, c. 27. Circa tempora civilium Sullæ, Cinnae, Marii bellorum: Ut nunc de Pontio Caninio nil addam, memorandus certè C. Pontius cum Gn. Acerronio, Consul Romanus sub Tiberio; ut scribit

Tacit. Annal. 6. 45. 6. *Pontiusq; Fregellanus*, Senator aliquis Romanus tempore eodem. Tacit. Annal. 6, 48. 6. Nec quicquam adhuc diximus de *Pontio Glaucio*, versibus quadratis celebrato *Ciceronis* pueri ingenio. *Plutarch.* in vitâ *Ciceronis*. Idem in *Camilli* vitâ juvenem Romanum *Pontium Cominium* gloriæ ac honestatis studiosum admiratur. Ut asserere non vereamur, patriâ & gente *Italum* non modò, sed *Romanum Equitem* ex inclyta & sub *Tiberio* potissimum florente gente *Pontium Pilatum*, dignum visum *Cæsari* hâc eminenti spartâ, ut *Vicarius* præficeretur.

§. III. *Pilati* nomen *Pontio* præponit *Metaphrastes Æthiopicus*, quemadmodum & *Arabs*. Ille enim ⲡⲓⲗⲁⲧⲟⲩ seu principem Gentium, *Pilatum Pontium* appellat. Sive autem ab armorum quodam genere, seu *pilò*, id est telò: (quod ferro triplici munitum erat, & fusè describitur à *Lipso* 3. de milit. Rom. Dial. 4. unde *primipilus* & *pilata* cohors quoq; dicitur,) seu à *pilandi* verbo, unde *depilare*, *expilare*, *compilare* est, descendat, anxie non laborabimus, cum in primis rariùs occurrat. Si à *πιλῆω* vel *πιλῶω* Græcorum derivetur, à constringendo denotat *constrictum*, sive *coarctatum*. Unde *Pilatum* agmen densum significat ac pressum. *Συμπιλῶ* est comprimò, constipo. Vid. *Becmann.* de Origin. ad vocem *pilei*. Eligat deductionem, quam quis volet, modò non à *pileo*, seu tegumento capitis: quantumvis certum sit, tiaram iudicum fuisse *Pilaticiam* apud *Medos* olim usitatam atq; dictam, testibus *Paschaliò* & *Codino*, uti memorat *Anselmus Solerius* de *Pileo Veterum* sect. 9. p. 200.

CAPUT. II.

De

OFFICIO PILATI.

§. I.

Non confundenda munia Legati, Præsidis, ac Procuratoris sunt. Confudit eadem *Lactantius* 4. divinar. instit. 28. *Ju- dai,*

(5.)

dai, inqviens, comprehensum (Christum) ac Pontio Pilato, qui tunc Legatus Syriam regebat, oblatum cruci affigi postulaverunt. Nisi aut corruptus locus est, quod suspicatur *Bartbius* 7. *Advers.* 2. aut nimis generaliter & abusivè positum *Legati* nomen; quatenus pro eo sumitur, qui missus est ad functionem muneris cuiusdam, quemadmodum & *Varro* nomen explicavit 5. de *L. L. Procuratoris* partes ipsum objisse, *Tacitus Annal.* 15. 44. 4. videtur indicare: *Auctor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Quin imò *Silanum* Præsidentem fuisse tunc, ex eò probant alii; quia coram ipso accusatus aliquando à Judæis est *Pilatus*, memorante id *Josepho. Conf. Desider. Herald.* ad cap. XXI. *Apologet. Tertullian.* ubi *ἡγεμόνα* nominat *Silanum*. Sed tamen *ἡγεμῶν* *Pilatus* quoq; dicitur, *Matth.* 27. 2. *ἡγεμῶν* autem notat Præsidentem ducemq; , *Luc.* 3. 1. Et de *Tiberio* Cæsare prædicatur etiam *ἡγεμόνα*. Quid est igitur *ἡγεμῶν*? Præsesne? ut *Vulgatus* reddidit, an provinciæ alicujus *Procurator*? *Eth Landtpfleger* ut *Lutherus* voluit, & *Casaubonus* existimavit ad cap. 3. *Luc.* *Gubernatorem. Italica, Gallica, & Anglicana* præfert versio: *Governatore, Gouverneur, Governour.* Fatendum est, observatore *Stephano Henrico, ἡγεμόνα* & vocem generalem esse, & nunc *Imperatorem, atq; Ducem, nunc Præsidentem & Præfectum, nunc Magistratum* alium notare Græcis. De homine ac officio Romano igitur ex Romanis moribus & monumentis ferendum etiam *judicium.*

§. II. Duum generum *Procuratores* (loquimur de publicis,) fuerunt olim; alii, qui solis colligendis rationibus & vectigalibus vacabant: *Nostri* einen *Landrentmeister* oder *Schatzmeister* appellarent: sicut *Galli* summum ærarii præfectum *Surintendant des finances* vocant. Aliiq; fisco præerant, & in Urbe ærarii præfecti, in provinciis *Procuratores* dicebantur. Nec idem tamen ubiq; referebant nomē. Alii etenim *Procuratores* fisci, i. e. *Comites largitionū* audiebant, & fiscalia negotia tractabant. Alii *Procuratores Cæsaris κατ' ἐξοχήν* appellabantur, quibus patrimoniales & privatae, seu dominicæ potius rationes atq; facultates solis propriæ Cæsaribus committebantur. Utrisq; administrandis

dis bonis Princeps præfecerat Procuratorem ; alium fiscalibus curandis ; alium domûs Imperatoriæ administrandis rebus. Itaq; dispensatorum & actorum Cæsaris nomina ferebant. Procurator Cæsaris simul *Rationalis* dictus, quòd Principis curaret rationes, habebatq; cognoscendi jus de controversiis inter Cæsarem & privatos super debitis ex hereditate , contractibus aut delictò ortis. Gaudebat jurisdictione aliquâ & imperiò mixtò, seu levi coërcitione; cùm sine eâ nullus consistere ferè possit Magistratus. Sed imperium merum , gladiiq; potestatem illò tempore nequaquam obtinebat. Sub *Claudio* eqvidem majores acquisivisse vires , testis est *Sveton.* in vit. ejus c. 12. sed illa vis non diuturna fuit. Rectè igitur *Xiphilinus* è *Dione Cassiò* l. 57. *Capitonem Procuratorem* ἐπιτροπῆς αἰνῆς in *Asiâ* detulit ad *Senatum*, (*Tiberius*) eumq; accusatum, quòd milites habuisset, fecissetq; multa, quasi præfesset ei provincia cum imperiò, in exilium misit. Nam illis temporibus nihil amplius licebat iis, quibus pecunia Principis mandata erat, quàm ἵνα ἐνομισματίας προσδοτῆς ἐκλέγῃεν, reditus legitimos colligere. Ut adeò ex applicatione horum omnium constare possit, non fuisse simplicem Procuratorem *Pontium Pilatum*; quantumvis ita eum *Tacitus* vocarit, & secuti *Tacitum* hâc parte *Lipsius*, *Polletus* in for. Rom. l. 5. c. 17. atq; summus *Barthius* in *Advers.* loc. alleg. Inter tales spongas non erat, qui ἡγυμνοῖα fungebatur *Pontius*, ut emungeret pecunias, & ipse postmodùm exprimeretur ad hircinam similitudinem. *Tranquillus* autor est videlicet, c. XVI. *Vespasianum* seniore, quòd naturâ esset cupidissimus, Procuratorem rapacissimum quemcunq; ad officia ampliora de industriâ promovere solitum fuisse, quibus quidem vulgò pro spongiis dicebatur uti; quòd quasi siccos madefaceret, & exprimeret humentes.

§. III. Videamus, annon potius vocandus Præses sit *Pilatus*, aut ad minimum Legatus ejus? Præsidem à præsidendò dici, patet. Nomen ejus generale est, & ideò etiam in *Digestis* pro Legatò & Vicariò Cæsaris in provinciam missò sumitur, cujus à Proconsulatu separatum est officium & specialius. quanquam l. 1. ff. de Off. Præs. involvi videatur. Imperium Præsidis provinciæ maximum, est proximum à Principe, secundùm *Ulpianum*

4. ff. eod. Habebat idem pariter jus gladii & in metella dandâ potestatem; & omnia provincialia desideria, quæ Romæ varios habebant iudices, ad Præsidentem spectabant, inquit *Martianus* l. ii. ff. de Offic. Præsidentis. Et Procurator Præsidi, ut provinciæ rectori suberat. Legatus autem dicebatur missus in provinciâ, ut fiduciariâ superioris operâ vicarias obiret partes, & mandatâ jurisdictione uteretur interim à Senatu populôq; aut à Principe commissâ. Sic, qui Præsidentibus aut Proconsulibus, & Proprætoribus in provincias euntibus navabant operam, jam comitandô, jam prægrediendô, si res moram pateretur nullam, extrâ ordinem deligebantur. Munus horum erat, ut Vicarii Proconsulum, ad provincialium rerum sustinendam molem essent, & cognitionem privatarum solummodò causarum obtinerent, in quibus non suâ, sed mandatâ potestate utebantur. Jus autem animadvertendi in caput, aut atrociter verberandi nō habebant. Si tamen contigisset, Præsidentem Proconsulemve à provinciâ abesse, tūm Legatis res committebatur, quæ animadversionem postularet.

§. IV. Apparet igitur, Legati nomen minùs exquisitè respondere *Pontio Pilato*; quicquid m. asserant *Lactantium* secuti. Cū enim ἡγεμὼν extiterit *Pilatus*, & sub *Tiberio* Præfectus Palæstinæ fuerit, per annos ipsos X. & habuerit *Marcellum* successorem Præsidentem, & *Valerium Gracum* antecessorem, teste *Josepho* 18. Antiq. 5. quid opus est, abuti titulis & honoribus, non adigente aliquâ necessitate? Damus quidem faciles, Legatos appellari posse regios, qui vices Regum in provinciis obire solent. Jure etiam Civili Cæsaris Legati dicti Præsides, qui cum imperiô ac potestate missi sunt à Cæsare; l. penult. ff. de off. Præs. l. 4. ff. de offic. assess. l. 12. ff. de accusat. Sic *Aquitaniæ* Legatus ap. *Plin. Hist. N. 26. 1. Gallie Lyciæq;* ap. eund. 9. 5. & lib. 12. c. 1. Sed acceptio hæc paulò latior, & primorum Cæsarum temporibus non promiscua Legati Præsidentisq; fuit usurpatio. Qui Cæsaris provincias regebant, Legati Consulares, vel simpliciter appellabantur Consulares; nec Proconsules illos dici moris erat, ne cum Proconsulibus populi confunderentur. Alioqui nihil prohibebat, eos etiam Legatos nominari Cæsaris pro Prætoribus quos

quos provinciis suis jure atq; nomine Prætoris gubernandis Cæsar dabat. Hinc quoties in veteribus monumentis legas aliquem provinciæ Consularem, semper de Legato Cæsaris Consulari intelligere licebit, Claudio Salmasio notante. Strabo pariter ὑπατικὸς ἡγεμόνας & ὑπατικὸς διοικητὸς lib. 4. ipsos vocat. Esto itaq; salutet ἡγεμόνα etiam Procuratorem ac Legatum Flavius Josephus, & Anton. Gabin. aut alios; Casaubono exempla istiusmodi urgente Exercit. 1. ad Baron. annales. Non præter rem tamen observavit Hugo Grotius ad Cap. Matth. XXVII. vocem ἡγεμόν generalis esse, quâ omnes provinciam (ordinariè) regentes denotentur: usurpatum nomen interim in provinciis minoribus fuisse, ut & extrâ fisci causas jus dicerent, & gladio animadverterent. Tales Procuratores dici, addit, Præsidisq; vice fungi; per l. 2. C. de poen. & l. 4. C. ad leg. Flav. de plagiariis. Quod ut non abnuerim de istius temporis Procuratoribus, quo latæ illæ leges sunt; sic respectu primi à nato Servatore seculi dimidii, locus quoque Xiphilini è Dione allegatus obstat.

§. V. Ut rem paucissimis conficiamus, certum est, ἡγεμόνα cognomine, sed non ὑπατικόν, aut Legatū Consularem appellari Pontium. Deinde per continuos annos X. præfuit Judææ cum supremâ juris dictione; nicht allein als Statthalter / sondern auch als Landpfleger / oder Land Drost. Tenendum porro, talibus Præsidibus quacunq; ratione navasse operam Legatos. Quo sensu sapienter eos Cicero in Vatin. Orat. pacis nuntios, consilii bellici auctores, muneris provincialis ministros dixit. Pertinet huc illud etiam, quod, ut Cæsar ipsemet in civ. Bell. l. 3. testatur; alia sunt Legati, alia Imperatoris (bellici, aut Præsidis provincialis) partes; alter omnia agere ad præscriptum, alter liberè ad summam rerum consulere debet. Idem antea laudatus Tullius alicubi: Officium legati operam fiduciariam saltem obtinere scripsit. Quid ergo causæ est, cur dubitemus, omnium rectissimè vocari posse Præsidem Pilatum? cum non modò ἡγεμόνας nomen, sed ἀξιώματα & jura ei omnia tribuantur. Requisitus in gravissima maximi Prophetæ atq; Judæorum Regis occidendi causa, nec modò à Sacerdotibus & scribis agnitus supremus iudex
sed

sed etiam ab *Annâ Caiphâq;* Pontificibus, pro tribunali, ex officio inquisivit; quoniam non pro sanctitate muneris sententiam de capite Servatoris mundi dixit, *Nunquid ignoras, potestatem me habere, te crucifigendi atq; dimittendi* inquit ipsemet, *Job. XIX, 10.* Et docuit eventus, & loquuntur alia exempla, quantum competierit imperium *Pilato.* Cum enim moliretur aqueductus sumtibus haud mediocribus, & è gazophylacio Templi converteret pecunias, Judæi operariis infesti, per convitia & maledictiones, adeò repulsi sunt ac sauciati, ut ingens ederetur strages. *Josepb. l. 28. Antiqu. c. 4. conf. & Cap. 7. ubi plura.* In excerptis è *Suida,* ab initio productis, *Hannas atq; Caiphas,* citati ad reddendam rationem: *ὁ ἀρχων,* inquebant, *ἐξουσίαν ἔχων, ὅσα ἡβδληθήν ἔπραξε.* *Paullus* etiam *Orosius* hist. l. 7. c. 4. *Pilatus Palestine Præses,* ait, ad *Tiberium Imperatorem atq; ad Senatuum* retulit, de passione atq; resurrectione *Christi.* Eadem conceptis ferè verbis *Paullus* reddidit *Diaconus* in hist. misc. 8, 23. *Palestina Præsidentem Pilatum* nominans. Quòd autem accusatus à Judæis *Pontius* ad *Silanum* dicitur, nisi *L. Vitellius* intelligatur, cum exercitu præfectus *Orienti* à *Tiberio,* nullatenus meretur fidem. Nec ideò conficitur, Judææ Præsidentem non appellandum *Pontium;* quia apud exercitus Imperatorem propter facta aliqua tyrannica accusabatur. Autor horum est *Josepbus* 18. *Antiquit. 7.* ubi pro *Silano* memorat *Vitellium* expressè; & hunc *Syriæ Præsidentem,* non *Judææ* vocat.

CAPUT III

De

JUDICIO PILATI,

§. I.

Secundùm *Generis Juridicialis* ordinem & statum ejus singulos *Judicium* injusti Præsidentis examinare, longum nimis foret, ac lucernas veteres olere uni alteriq; videretur. Ibimus per summam igitur, & de condemnatoriâ sententiâ paullum alius dispiciemus. *Quæ* autem pro eodem, in moderati ac benigni
B
judicis

judicis favorem adduci argumenta speciosè possunt , undiq; *Stellerus* conquisivit, & colores varios induxit: serione, an pro ingenio magis ostentando? jam non definiverim. Videtur nihilominus ex animo egisse causam judicis; seu rubrum æstimes, seu nigrum.

Obj. 1.

§. II. Initio præten dit Cap. I. n. 73. & seqq. innocentiam Pilati elucescere ex eo , quòd sententiam non ipse dixerit, damnando Jesum; sed ad judicandum potius tradiderit Judæis, uti secundum legem suam ferrent decretoria, cum ipse nihil capitale luendum deprehenderit in eo. Τὸν δὲ Ἰησοῦν παρέδωκεν, ἵνα σταυρωθῆι *Math.* 27. 26. Ἰδὲν εὐρον ἐν τῷ αὐθροῦ πῶ τῶ αἰλίον. Ἰδὲν ἰδὲν ἀξίον θανάτου ἐν πεπραγμένον αὐτῷ. *Luc.* 23. 14. 15. ἐγὼ ἰδὲν ἰδὲν ἀξίον ἐυρίσκω ἐν αὐτῷ. *Joh.* 19, 38. Movit hic prætextus etiam *Lactantium*, ut 4. *Instit. Divin.* C. 18 de vera sapient. scriberet: *Nec tamen ipse (Pontius) sententiam protulit, sed eum tradidit Judæis, ut ipsi de illo secundum legem suam judicarent.* Resp. (1) sedit pro tribunali *Cæsaris Pilatus* , causâ utiq; judicii, & ἐπέριψε; *Luc.* 23, 24. hoc est, secundum testes falsos in idoneosq; judicavit. (2) Inquisivit, tradidit militibus Romanis, executusq; poenam est. Dicta factis, facta dictis igitur non responderunt. Tantò gravius peccavit, quantò magis conscientia scientiaq; ei obstitit.

Obj. 2.

§. III. Dixit ipsemet *Pilatus*: Ἀθῶός ἐμι ἀπὸ τῆ ἀλιμα-
τοῦ τῆ δικαίῃ τῆ τῆ, ὁμοίῃ ὁμοίῃ; *Math.* 26, 24. Si ergo innocens suffragiis totius turbe *Præses habitus* , tumultuantibus *Judæis imputanda culpa fuit.* Resp. (1.) testimonium de se ipso innocentiam non probat. (2) Factum protestationi penitus contrarium. Cur fieri permisit? cur non abstinuit à tribunali in hâc causâ? (3) Frustrâ excusaverat se callidus & mericulofus judex; quandoquidem, quem innocentem esse certò novit, flagellari contumeliosè ac affigi jussit cruci. Quæ omnia non statuisset de Romano Cive.

Obj. 3.

§. IV. Artes varia adhibita pro liberando **JESU** Præsidem absolvunt à reatu. Excusavit, declaravit innocentem, consuetudinem dimissionis allegavit , nihil deniq; commercii habere
voluit

voluit cum sanguinolento hominum iudicio. Resp. (1) invitum & quodammodo coactum eò processisse iudicem Romanum, haud inficiamur. Sed id non sufficit ad innocentiam testandam. Aliud est esse, aliud videri velle iustum. Metuebat homines; quos verò? toties abs se & aliis coercitos, nec satis faciebat muneri sanctissimo. (2) Aliis in actionibus se suosque concernentibus validiora opponebat arma. Sic verpæ cum resisterent conatibus Pilati, aqueductus molientis, ille militem à dorso circumvenire iusserat Judæos, quos dato signo etiam invaserat, & multaverat ingenti strage: ut sauciati plurimi discederent, ac seditio hæc viâ sedaretur. Sic pariter *Cæsarea* seditiosa capita compescuit. Sic in monte *Garizim* Samaritanos aliosque vi armatâ efficaciter repressit; *Flavio* commemorante lib. 18. Antiqu. c. 4, 6, 7.

§. V. Sed iudicis est, contra acta & probata neminem absolvere à noxâ. Peccat etenim, si secus quàm secundum acta & probata proferat sententiam. Ipse Pontifex supremus laceravit vestes, dicens: *Ὁὐ ἐβλασφημήσεις. Τί ἐπιχρῆσαι ἔχουσιν μαρτυρῶν ἴδω, νῦν ἠκῶσθε διὰ τῆς σῶματός αὐτῶν.* *Matth. 26, 65. Marc. 14, 63. Luc. 22, 71.* Nos legem habemus, & secundum legem moriatur; quia filium se Dei fecit, clamitabat multitudo, *Joh. 19, 7.* Resp. Acta & probata Judæorum falsa & corrupta esse, testes subornatos, malè coherentia effata, odium insanum furibundi sacerdotii, accuratè noverat Pilatus. Potestatem dimittendi iterum, aut interficiendi penes se esse, falsus ipse fuerat. Ex actis & probatis propriis nil morte dignum reperiri in captivo, hauserat. Cur pœnam ergò irrogavit? cui culpa nulla penitus impingi poterat. Cur non exiit personam iudicis? cur rem tantam non ad Cæsarem devolvit? cur à supplicio ignominioso & servili non innocuas servavit manus?

§. VI. Metuit seditionem populi, furorem hominum non potuit compescere, ipsius Cæsaris indignationem veritus, si propter crimen læsa accusatum non ad supplicium pertraheret. *Matth. 27, 24. Joh. 19, 12.* Resp. (1) Incorrupti iudicis est, agere ἀπεροσωπολήπως; non minis aut muneribus, non gratiâ, odio, amore,

Obj. 4.

Obj. 5.



aut affectu quovis alio corrumpi. *Hic murus abeneus esto!* (2) Potestate ac autoritate Cæsaris instructus Præses, sufficienti milite armatus sæpius jam depulit vecordiam insanientis populi. Plus seditiosos formidavit homines, quam Deum & vicarium Numinis Imperatorem, à quo postea citatus ad reddendam rationem fuit. Anteposuit justitiæ privatum dignitatis commodum. Cur tunc, cum Cæsareæ, aut Samariæ, aut Hierosolymis periculosiore steterant res loco, non meticulosum adeo se præbuit?

Obj. 6.

§. VII. *Ad innocentiam solenniter probandam suam, manus abluit in publico Pilatus, vii istiusmodi docere volens, nil commercii se cum justo & innoxio hoc habiturum; juxta Conjugis ammonitum. Matth. 27, 19. 24.* Quantum autem ponderis ablutio manuum habuerit in judiciis, constare potest ex sequentibus. Nec enim commune aliquod χειρόνηπον, sed singulare penitus indigitat Hesychius, dum scribit: *χειρίβιον τὸ ἀγνήθηναι δὲ ὑδάτι & ἐχούλας κελιάς, καὶ ἄλας: Judices lavando manus & purgandò eas sale innocentiam testatos suam olim esse.* Ferè ut de Priamò Homerus prodidit memoriæ; lavasse illum manûs antea & ad coelum elevasse. Sic Claudia ap. Ovid. cum castissima non crederetur equidem, sed esset tamen, suæ conscia integritatis.

Tum manibus puram fluminis hausit aquam.

Ter caput irrorat, ter tollit ad æthera palmas.

Resp. (1) Lavit aquâ manûs, & mox cruentavit sanguine innocuò. Eventus igitur obstabat symbolo præmisso. (2) Lotionis ceremoniâ externâ non ablucebatur maleficium injusti judicis.

Ab nimum faciles, qui tristia crimina credis

Flumineâ tolli posse putatis aquâ!

hic occentet potius Ovidius 2. Fast. Cur *Catonem* non imitatus, esse, quam videri maluit?

Obj. 7.

§. VIII. *Fuit homo Christi ignarissimus, paganus, Romanus, qui nec sacra intellexerat oracula, nec pro Dei filio habuerat hunc Judeorû Regm.* Resp. (1) Fuit callidissima vulpecula, Herodi blandiens ingeniosè. Fuit Præses vice Cæsaris justitiæ, & meticulo-

sus

lus simul homo. Fuit obstinata incredulitatis Vir. Fuerunt alii ex turbâ, ac inter plures etiam Centurio Romanus, qui percussio pectore conversi & confessi sunt; *omnino Dei filium fuisse hunc; Matth. 27, 54. Marc. 15, 39. Luc. 23, 48.* Cur non idem fecit Pontius, qui isthæc omnia & oculis & auribus admiranda usurpavit. (2) Non Herodes tantum, sed Pilatus pariter prodigiosa plurima patrata ex rumore hominum acceperat de JESU. Quin & ad unguem noverat, haud ullô suô meritô contractam tantâ poenâ dignam culpam, sed ex invidia adversariorum & malitiâ profectam esse. *ἦν γὰρ ὁν διὰ φθόνου παρέδωκεν αὐτὸν Ἰουδαῖοις Matth. 27, 18.*

§. IX. Sic fuit in fatiis; quibus non resistere licebat. Sic prædixere Vates, fallere ignari. Pl 2. & 22. Es. 53. Sic falsus Christus ipsemet. Marc. 8, 31. c. 10. 33. Luc. 9, 22. c. 24, 26. Sic concio piorum Actor. 4, 28. atq; Paulus cap. Act. 17. 3 Resp. (1) Actio displicuit, passio grata fuit, Patri. Oportebat sanè Servatorem mori pro salute hominum; quantumvis nec Pilatus extitisset unquâ, qui justissimû tam leviter, tam ignominiosè jusserat interfici. De iudicii processu quaritur, & de partibus à Pontio administratis; non de morte ipsâ & eventu. (2) Nec prævisio, nec ordinatio divina per absolutam aliquam sententiam imposuit inevitabilem necessitatem carnificibus Judæis & Romanis, tam inhumaniter & crudeliter in humanissimum grassandi JESUM. Et aliunde liquet, præscientiam Divinam eò hominum liberrima arbitria haud cogere.

Obj. 8.

§. X. Facta, dicta, scripta, omnia benevolentiam Pilati ergà Christum arguunt. Captivum voluit dimittere; dimittentem ex opinione suâ castigavit; castigatum miserabili aspectu ostentavit publico, dixitq; : *Ecce homo!* Nullam mortis causam reperisse se, testatus est judicialiter. Mortis titulum appinxit honorificum: JESUS NAZARENUS REX JUDÆORUM. Resp. (1) Benignitatem iudicis, non innocentiam iustitiæq; accuratam ista cuncta arguunt; de quâ hic lis versatur. Rectè faciendo neminem timere debuit Vir tantus & tam potens maximè. (2) Moderatrici providentiæ divinæ tribuendum hoc elogium. Aliq Pi-

Obj. 9.



lati sensus, alius piorum hominum & Numinis. Ut ægrè face-
ret *Judeis*, appellavit Regem; seu veram damnationis causam
publicaret, sive forsitan illuderet per ironiam mortis potius,
quàm Regni Candidato. (3) Affectus magis excusandus, quàm
effectus judicis, tot passionibus obnoxii. Prudentis, prudenter
etiam agentis, non est pœnitere.

Obj. 10.

§. XI. *Christus ipsemet videtur excusare Præsidem*, Joh. 19,
11. *qui me tibi tradidit, majorem habet etiam te culpam.* Resp. Hæc
non planè innocens, sed minùs nocens responsione declaratur
Pontius. A majore gradu criminis, sed non ab ipsò crimine ab-
solvitur. Prodiderat *Judeis Judas*; tradiderant *Judæi principes*
Pilato JESUM. Ille crimen desperatione ac suspensione luit: hi
innocentem super seq; liberosq; suos sanguinem vocârunt. Ro-
manus & paganus homo, voluntatem Domini ignorans, non
tot experturus verbera existimari potest. Nec tamen innocens
propterea vocari debet.

§. XII. Jam ut apertissimè pateat, quàm injustè, quàmq;
improbè rem egerit *Pilatus*, ex sancto judicis ac Præsidis officio
& ab eventu de gravissimâ hæc causâ ita statuemus, uti ex prin-
cipiis Romani juris, & immotis fundamentis constet aliis, quid
sentiendum porrò sit. Ad partes incorrupti judicis inprimis (1)
pertinet, *ne casum formet pro amico*. Decas casuum pro amico
edita ab Antecessore celebri Argentoratensis Academia, *Caspa-*
re Bitschio; in quâ textûs maximè notabiles, eò adduci solitos,
discussit ex Civili jure, solidò judiciò; & quid sit casus pro amico?
unde nomen sortiatur? dissertatione eleganti tradidit in pro-
legomenis. Conferatur etiam hîc laude nostrâ omni major
JCTus *Zieglerus* in *Dicastic*. ex cujus fontibus hauriri aqua po-
terit, non profluens à turbidò. Nos applicabimus rem ad præ-
sentem casum, qualem pro amico, scilicet *Herode* sibi concin-
nando, finxerat *Pilatus*. Disertè memoravit *Lucas* cap. 23, 12. *Eo*
die facti sunt amici inter se Pilatus & Herodes, qui inimici erant
ante hæc. Circa *oniuvia*, vel ut rectiùs appellem, Syncretismum
hunc politicum fallaciæ occurrunt plures. Volebat abs se odiû
ac onus remove *Pontius*, transferre autem in *Herodem*. Vulpe-
cula

cula non minùs callida *Herodes* equidem spectaculo & mira-
 li videndi spe oblectabatur; post *Aulicorum* tamen varia ludi-
 bria remittit innocentem *Christum*. Conciliantur inde Regis
 Præsidisq; dissidentes animi. Modestîâ & civilitate *Pontius He-*
rodes, hic illum reciprocâ prosequitur benevolentîâ; uterq;
 suo commodo intentus; neuter non proclivis in malitiam. Fraus
 fraudem parit: *Christus* patitur: paratur *Pontio* amicus Rex per
 inimicum.

§. XIII. Sed nunc exponamus excessûs quosdam ju-
 dicis, crimine & culpâ non carentis. *Graviter peccare ille solet,*
qui peregrinis ac forensibus non æquè, uti civibus jus dicit. De Ro-
 mano Cive talia decerni minimè *Pilatus* permisisset. Facinus ni-
 mirum habitum, vincire talem; scelus verberare; propè parrici-
 dium, necare; quid dicam, ait *Cicero*, attollere in crucem?
 Singula & univèrsa hæc patraerat in *Judæorum* Rege Præses.
 Ne enim de oraculis divinis quid commemorem, in quibus vi-
 duis, pupillis atq; peregrinis idem jus ac civibus administran-
 dum imperatur; jure veteri Romano etiam obligabatur Prætor
 peregrinis datus, reddere cuivis jus æqualiter. Non fecit id *Pi-*
latus. Flagitium deinde aliud commisit, *formidando homines,*
nec reverendo Casarem, aut Numen ipsum. Dum contra & scien-
 tiam & conscientiam condemnat innocentem *JESUM*. Diligen-
 ter observanda verba sunt *Lactantii* 4. Instit. Div. c. 18. de ver-
 sapientia: *Pontius clamoribus illorum & Herodis Tetrarchæ insti-*
gatione, meruentis ne Regno pelleretur, victus est, & tradidit Judæis
Christum. Hominis iniqui deniq; judicium probavit *tragicus*
eventus. Seriam expertus *Nemesin Pilatus* fuit, cum per *L. Vi-*
sellium, Consularem Virum, *Syria* Præfectum, *Casa-*
ris auctoritate motus dignitate suâ & citatus Romam;
 accusatus pariter ac condemnatus, necem

sibi intulit αὐτόχειρ factus; ve-
 lut ex sequenti capi-
 te patebit.

CAPUT

(16.)
CAPUT IV
De
SUPPLICIO PILATI.

§. I. De interitu *Pilati* nihil in historia occurrit sacra; sicut de *Herod. Agrippa* majore, in *Apost.* act. 12, 23. qui ab Angelo percussus, quinto die, à quo hominem se fuerat oblitus, homo (vividus interim à vermibus erosus) esse desiit, doloribus immensis exantlatis. *Joseph. Antiqu.* 19, 7. *Pbot. Biblioth. codic* 238. p. 975. Historia profana refert modicum; Ecclesiastica non planè silet. Quidquid autem statuendū tandem sit de mortis genere ac interitu illius; nos primū de supplicii reatu, deinceps de eventu disquiremus. Quam meritis sit pœnam *Pontius* deficiant, quicunq; gravitatem & momentum causæ hujus satis metiuntur. Nos ex propriâ confessione eum arguemus. *An ignoras, (inquit ipsemet Job. 19, 10.) potestatem me habere te crucifigendū atq; LIBERANDI?* Noverat *Pilatus* porro, quòd invidiæ cœstrò perciti *Judæi* ipsum illi tradidissent. *Math. 27, 18.* Testabatur etiam de innocentia nō semel. Permisit tamen fieri, quod factum præter jusq; fasq; est. Talia dum meditamur, opportunè incidit *Tertulliani* locus de *Trajano* in *Apologet.* *O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos (Trajanus Christianos) ut innocentes; & mandat puniendos, ut nocentes; Parcit & sævit: dissimulat & animadvertit. Quid te ipsum censurâ circumvenis; si damnas, cur non & inquire? si non inquire, cur non absolvis?* Quid inde aliud conficitur, quàm proprio se gladio ut jugulet injustus iudex? Ac moraliter quidem jugulabat eum conscientia dictamen. Nam & τὸ πρῶτον τῷ θεῷ (coelestis hujus quoq; Regis, qualem se apertè fatebatur *Christus*, *Job. 18, 36.*) *Θαυροὺν ἦν ἐν αὐτῷ, Rom. 1, 19.* & inexcusabilem reddebat ipsum *ibid.* v. 20. Naturaliter verò, postquam in calamitates incidisset maximas, εὐχὴ μωροῦ καὶ αὐτόχρη (disertum non *Orosii* duntaxat, *Hist. l. 7. c. 5.* sed *Ruffini* quoq; & *Eusebii* testimonium memorabile omninò *Hist. Eccl. c. 7.* est) evasit hominum infelicissimus, ob injustiti-

am,

am, mercedem *Juda* referens *Iscariota*; cujus criminis participem se quoque fecit. Hæc nimirum causa fuit, cur Præsidentem *Heavontimorum* non declaraverimus in titulo.

§. II. Ut res omnis cognoscatur plenius, removeamus primum aliena *Qualia Pilati acta*, fidei nullius sunt; ut ineptè ideò ad ea à quibusdam provocetur. *Justinum Martyrem* & *Tertullianum* ipsum tantam illis fabulis auctoritatem tribuisse, meritò miramur. Jussu *Maximini* etenim vulgatus ille liber in infamiam Christi Christianique nominis. Vid. *Dionys. Petav.* part. I. Ration. Temp. l. 6. c. 2. Deinde relegatio *Pilati*, & cadaveris ejusdem deportatio in *Gallias Helvetias*, accensenda oppidò anilibus. Id quidem veritati litat, filium *Herodis*, *Archelaum*, pulsum ad *Allobroges* *Viennæ* substituisse; testibus *Josepho* *Antiqv.* 17. 25. *Bell. Jud.* 11. 6. *Hegesipp.* 11. 13. *Dion. Cass.* *Hist.* 1. 55. Addatur quoque *Strab.* *Geogr.* 1. 17. Sed de *Pilatò* simile quid confirmari nequit. Quicquid etiam commemorat *Johannes Langius*, *Lembergus* in *Epist. Medicinal* 35. lib. 2. *Pilatum à Cajo Caligula Romam accersitum, ut causam Christi innocentis supplicio condemnati diceret, reverentum ferociam Caligulae & carcerem, ex desperatione proprio sibi mortem intulisse cultro: corpus ejus mole oneratum in Tiberim demersum; quod, cum undis fluctuaret, malignos spiritus cadavere gavisos, illud nunc in aëra, modò super aquas in sublime rapuisse, tempestates concitasse, fulgura, tonitrua, aquarum inundationes. Romanos igitur Tiberi exemptum, in urbem Gallie Viennam deportasse, Rhodanoque fluvio meruisse. Ubi testes? ubi tabula?*

§. III. Pari fide digna sunt, quæ de *Pilati* lacu propè *Lucernam* in *Helvetia* circa montem fractum (vulgò *Fracmont* vel *Fragmont* nominant, de quo peculiarem doctissimus *Gesnerus* edidit libellum,) fabulantur. Parcimus & temporis & chartæ; nœnias prolixius relatas vide ap. *Petrum Mexiam* in variis lect. *Hispanicis*, *Joh. Stumpf.* in *Chronic. Helvet.* 1. 7. c. 5. *Joh. Simler.* *Tigurin.* in *Regim. Canton. tit. de Lucerna*, *Jacob. de Voragine.* in *Hist. Lombard.* c. 51. *Martin. Zeiler.* in *Itiner. Germ.* *Tom.* 1. c. 26. & in *Topograph. Helvet.* ac notat suprâ *Lang. Lemberg.* Ut mirum sit ab ingeniis tam avidis discendi tanta habita pro veris somnia. Scio equidem insignem Virum, *Joachimum Vadi-*

anum Sangallensem à Petro allegari Mexia in *Lectonib. Hispanic.* l. 2. c. 13. auctoritatis gratiâ, sed contra manifestam literam *Vadianus* enim fuit, qui solidius detexit fabulam, in *Commentar. ad Pomp. Melam* de sit. Orb. editione alterâ. Rectè igitur *Job. Baptista Plantinus* in *Helvet. antiq. & nov.* c. 15. *Fabulantur*, inquit, *olim illic in eminente rupe Pilatum consedisse, horrendasq; excitasse tempestates; quem postea depulsum conjurationibus incantator quidam in proximum lacum deturbavit.* Ridet etiam *Gesnerus* talia commenta, in descriptione montis, & ap. eund. *Felix Malleol.* pariterq; *Hottingerus* in *Method. Leg. Histor. Helv.* p. 241. *Hermannus* item *Lignarius* in oblectâ. *Acad. Bernens. Schol.* c. 2. *Crusiusq;* part. 1. *Svev. Annal.* part. 1. l. 3. c. 6. & primò nominandus meritò *Dorscheus* *Dissert.* 3. *Anti-Triglandin.* §. 14. Ut de elegantissimo *Thomasi*, digni tanto Patre filii labore, plura hic suppeditante, taceamus.

§. IV. *Misis* itaq; his nugis, superest, ut aliquid adjiciamus certius de obitu *Pilati*. In eo facilè conveniunt *Scriptores*, morte ipsum violentâ decessisse; at circa genus mortis atq; tempus maximè dissentiunt. Ex *Suida* suprâ allegatò locò discimus, *Pilato caput amputatum à Nerone*, quòd *injussu Caesaris non dubitasset interficere tantum hominem: τὸ δὲ πιλᾶτος τὴν κεφαλὴν ἀπέτεμεν, ὡς τηλικᾶτος ὁ θρωπὸν ἀνελεῖν ἐλμήσαντο*, δίχα βασιλικῆς προσταξίως. De cadavere in *Tiberim* dejectò silet. Citatum *Romam à Tiberiò*, defunctò interim, priusquàm adventâset, *Flavius Antiqu.* 18. 5. refert *Pontium Tertullianus* quoq; autor est, *Tiberium* rogationem detulisse ad *Senatum* de *Christò* inter *Deos* referendò. Adversùs hanc sententiam decerni tamen passus *Imperator* est; ut loquitur *Svetonius Tiber.* c. 31. In *hist. misc.* l. 8. c. 23. *Paullus Diaconus* recenset: *Palæstinæ Præsidem Pilatum* retulisse ad *Tiberium Imperatorem* de passione atq; resurrectione *Christi* & consequentibus virtutibus, quòd crescente plurimorum fide *Deus* crederetur: *Tiberium* cum suffragiò favoris magni retulisse ad *Senatum*, uti *Christus* *Deus* haberetur: *Senatum* indignatione motum, cur non sibi prius delatum esset, consecrationem *Christi* recusasse, constituisseq;

exter-

exterminandos urbe Christianos esse: *Tiberium* edictō tamen comminarum mortem accusatoribus Christianorum. Post pauca subdit: mortuum interea *Tiberium*, successoremq; *Cajum Caligulam* propter plurimas seditiones, (quorum etiam *Josephus* mentionem facit) excitatas Hierosolymis, angoribus sic coarctasse Pontium, ut suā se transverberavit manu, & compendium malorum mortis quasi verit celeritate.

§. V. Movemur non autoritatibus solummodo Scriptorum celeberrimorum, (*Nicephorum Callisti*, quoniam ipse referat, prætereuntes, quia vix meretur fabularum sollers Architectus,) sed & supputatione temporum, & connexionem rerum, ut faciamus à *Suidā*, propter genus atq; , tempus obitus, divortium; statuimusq; , donec meliora alius ac certiora proferat; *Pilatum* sub *Cajō Caligulā* extinctum Romæ violentā morte, ita quidem, ut sceleratas sibi ipsi manus perditè inferret. Sic *Eusebius* in Chronico ad Ann. 3. Olymp. 204. *Sub Cajō Caligula Pontius Pilatus in calamitates multas incidens, propriā se manu interfecit: scribunt Historici Romani; Phelegon. Trallian. libertus Hadriani in libb. Olympiad. Sequuntur Oros. 7, 5. Ado Viennensis in Chronic. Marian. Scot. ex Methodio; qui & Martin. Polon. habet asseclam ad Ann. Chr. XXXVIII. Abb. Urspergens. & Florent. Wigorniensis, qui ad Ann. Chr. XLII. tragicum hunc refert exitum Piali. De anno nemini scribemus dicam, Soli DEO gratiæ debentur, & imprimis CHRISTO Servatori nostro, Agno innocenti, à callidissimo serpente morso, à canibit taurisq; Judæorum pariter ac Romanorum laniato; sed à pugna & à morte ipsa resurgenti fortiter LEONI, & æternū triumphanti.*

Δ Ο Ζ Α.

QVIS

Q Vis PONTIUS PILATUS? an Chamæleon?
 Vulpes? iniquitatis executor &
 Minister? & coloris osor candidi?
 Et Veritatis Momus, assecla utilis?
 Homo placens HERODI, & improbis nequam.
 Sed, inquis, excusatur à quàm plurimis.
 Videtur excusabilis, non providè.
 Ipse innocens haud est; licet servierit
 Politicæ scenæ; verens ne offenderet
 Vel CÆSAREM, vel impios tot verpulas
 Conclamitantes: *Cæsaris tu non potes*
Amicus esse, si vicissim miseris
 Hunc factiosum Regulum. Proh fulmina
 Minaciter vibrata! *Neminem timet,*
Qui justus est Judex & innocentior.
 Tu noveras, PILATE, quòd innocuus
 Inventus esset Rex hic in tentamine.
 Damnaverat sed innocentem pessimè.
 Hinc SCHROMMII sententiâ justâ mei
 Judex. *Εἰς τὸν ἐστὶν ἡμῶν ἐμὸν*

Convictori & Amico

*dilectissimo congratulatus
feci*

PRÆSES.

Ti 780

ULB Halle 3
002 500 698



Sb.

VD 17

n. C.





PENSE, V
 gatus &
 quod id
 tendit, u
 tur. Sya
 οοστ
 rarius
 maior igit
 tior orat
 nim sudor
 ut notan
 uti pugna
 quentius
 pugiles.
 Vnde ex
 cas tres c
 λυπίαν, ε
 άγων, cert
 Haec ue
 procumb
 rat. Dass
 Salvatore
 erat, cade
 & in usu
 de Inform
 tur in sole
 supplicare
 uocabantu
 prolapsus
 stus imita
 terea, qui
 re ritum
 Dei

INTENSE. Vul
 Beza INTENSIVS,
 ٢٩, tendit, in
 unis, qui tendi
 sicut infra 23. 13.
 instabant. Fer
 dio urfit. Quo
 a, eo uehemen
 fectus, factus e
 άγωνία. Άγων,
 el lucta ipsa, uel
 olim nihil fre
 quiri, putabant
 perturbatione.
 m animi, ut Lu
 s fit uoce, περι
 issime tamen ab
 nae conflictum.
 ndo προελθών,
 ui ad Deum o
 genua procidisse
 genua prolapsus
 um expansione
 Libr. Mischn.
 ciem adhibeba
 us Iudaei Deo
 re, quae preces
 xpiationis festo
 em ritum Chri
 epturus. Prae
 undem adhibe
 enormiter ira
 cib. c. 5.

